



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 93. Alexandri Olivæ Cardinalis extrema

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

§. XCIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1463.*Alexandri Olivæ Cardinalis  
extrema.*

**I**sideri mortem paucis post mensibus excepit Alexander Oliva pariter Cardinalis, & Ordinis S. Augustini Prior Generalis, patria Sassoferatensis, parentibus exiguæ oppido fortunæ natus. Is Bzov. in annal. Eccles. tom. 17 ad ann. 1463. vix trium annorum puerulus casu decidit in fontem, unde exanimis extractus, n. 34. & a Matre sua, ut fertur, ad templum Corn. Crisius in elog. Viror. Augustin. gust. Beatissimæ Virginis Mariæ delatus revivit, dein teneris adhuc annis inter Fratres Augustinianos educatus, Arimini, Ambros. Coriolan in Chronic. Augustin. Bononiæ, ac Perusii sacratiōribus disciplinis eruditus, primo Philosophiam in eadem Perusina urbe, ac mox ibidem Theologiam publice docuit. Demum inter suos Provincialis renuntiatus, paulo post quamquam invitus, sui Ordinis Procurator Generalis designabatur; quapropter pro munere sui ratione Romam pergere compulsus est, ubi eruditionis suæ ac morum innocentiae digna retulit præmia. Tam profunda eminuit humilitate, ut inter nemora, ac saltus delitescens, vitam ducere obscuram eligeret, nec ipse Cardinalis Tarentinus Ordinis S. Augustini Protector ab eo crebris literis ac monitis impetrare posset, ut ad publica redi-

H 3

ret

Sæcul. XV. ret Gymnasia, quæ doctrinæ ejus luce  
A.C. 1463. privari summopere dolebant. Ceterum  
cum Theologiæ scientia, ac facundiæ u-  
bertate longe præstantissimus esset, con-  
scripsit plurima opuscula eruditis vigiliis  
elaborata, necnon & sermones, quibus  
vitia, & corruptos ævi sui mores sacro  
fervore & ingenti eloquentiæ vi redar-  
guit. Eligebatur Anno millesimo qua-  
dringentesimo quinquagesimo nono su-  
premus Ordinis sui Magister, demum ve-  
ro a Pio II. Pontifice sacro Purpurato-  
rum collegio Anno salutis millesimo qua-  
dringentesimo sexagesimo adscriptus, nec  
non postea Episcopali Camerinensi sede  
decoratus fuit, semperque præclara Ec-  
clesiae Dei obsequia præsttit. Tandem  
vero Tybure, ubi tum Curia Romana a-  
gebat, die vigesima prima Augusti hoc  
anno obiit, ætatis suæ annum agens  
quinquagesimum quintum; Cadaver e-  
jus Romam ad D. Augustini delatum in  
marmoreo sepulchro conditum quiescit,  
ubi sepulchralis ejus inscriptio hodie dum  
legitur. Ingenii sui monumenta, quæ ad  
posteros transmisit, sunt sermones centum  
de Christi ortu, de coena cum A-  
postolis facta, de peccato in Spiritum  
sanctum, aliæque plures orationes, ac  
discursus summa eloquentiæ laude con-  
scripti. Antonius Campanus defuncto  
oratione funebri parentavit, cujus non-  
nulla

nulla fragmenta in Additionibus ad Cia- **Secul. XV.**  
 conium reperies, aliaque in Chronico Jo- **A.C. 1463.**  
 sephi Pamphili ex ordine FF. Augustinianorum habentur.

## §. XCIV.

*Prosperi Columnæ Cardinalis  
 obitus.*

Pariter Romanæ Ecclesiæ ereptus est  
 die vigesima quarta Maji inter Cardi-  
 nales hoc anno defunctos tertius Prosper  
 Columna. Is erat ex illustrissimis Pa- *Ausberg*  
 rentibus natus, Laurentio Columna Al. *hist. Cardin.*  
*bæ Comite, magno Regni Neapolitani*  
*Cubiculario, & Sueva Cajetana Jacobeli*  
*Fundorum Comitis Filia. Anno mille-*  
*simo quadringentesimo vigesimo sexto ad*  
*purpuram evectus est, miti vir erat inge-*  
*nio, literarum eximus cultor, & quem ne-*  
*mo potuisset non amare, nisi plus æquo Gi-*  
*bellinarum partium studiosis adhæsisset. Qua-*  
*propter sibi Eugenii IV. indignationem*  
*accersivit, ne unquam cum eo in gratiam*  
*rediret.*

*Comm. Pii II*

## §. XCV.

*Mors Blondi Flavii historici.*

Die quarta proximi Mensis Junii cele- *Gobelin.*  
 bris Scriptor nomine Blondus Fla- *Comm. Pii II*  
 vius sui desiderium reliquit fatis functus. *lib. II.*  
 Natus erat in Romandiola Flaminia An- *Paul. Jov.*  
*Elog. cap. 14*